



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 8. Vtrum verus pœnitentiæ actus esse debeat vniuersalis de
omnibus peccatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

Sape leuant penas, ereptaque lumina reddunt,

Deum bene peccati poenituisse vident.

Vnde, quod attinet ad speciem, dicendum est, spem veniae supernaturalis, per gratiam, & iustitiam restituentem, non posse cognosci aut haberi lumine, aut viribus naturae. Addo etiam, illius imperfectae veniae non posse haberi certam spem, quia haec fundatur in verbo, & promissione Dei, quae non potest lumine naturali cognosci. Sed de hac re latius agitur in 1.2. q. 109. vbi disseritur, & quam efficax possit esse ille actus, & quantum valere possit ad remissionem peccati, vel nunc, vel in statu purae naturae.

8
Occurritur
ratiōi obiecti.

Nec vero doctrina haec repugnat dictis in praecedenti sectione (vt in quadam obiectione, seu confirmatione ibi relictā opponeretur) quia motium detestandi peccatum, non tantum naturale, sed etiam supernaturale esse potest: & illud quod supernaturale est, excellentius est, & efficacius ad conuertendam voluntatem, & omnem peccati malitiam detestandam. Est autem minus proportionatum imbecillitati humanae naturae, eo quod supernaturalis regula, & finis etiam, ac legislator supernaturalis naturam excedant, & cum illa non habeant necessariam connexionem, & multa complectantur, quae impossibilia sunt per naturam vires: & ideo, sicut perfectus amor charitatis supernaturalis est, ita etiam perfectus dolor poenitentiae. Hinc vero facile etiam enitatur inconueniens, quod supra inferebat Caietanus de certitudine iustificationis. Vt enim iustificatio sit incerta, satis est, quod possit dari aliquis naturalis actus poenitentiae. Eo vel maxime, quod de ipsis etiam actibus naturalibus vix potest homo certum iudicium ferre, quia ratione aut motiuo praecipue fiant: vnde multo minus potest perspicere aequalitatem, ac modum, & gradum sui actus seu dispositionis. Item, quia de ipso actu supernaturali incertum est, quando, & quomodo ad remissionem peccati sufficiat, vt videbimus disputatione sequente.

SECTIO VIII.

Utrum verus poenitentiae actus esse debeat vniuersalis de omnibus peccatis.

1
Ratio dubitandi.

Ratio dubitandi est, quia voluntas nihil amat, nec detestatur, nisi quod illi per actuale cognitionem proponitur: saepe autem exercet homo actum poenitentiae non cogitans de omnibus peccatis, sed de vno, vel altero tantum, vt experientia constat: ergo. In contrarium est, quia vera poenitentia auertit voluntatem simpliciter a peccato, & inde est, vt non possit vnum peccatum sine alio tolli: ergo non potest vnum sine alio displicere: ergo vera displicentia peccati, ex poenitentia, necessario est de omnibus peccatis.

Duplex potest esse vniuersalis dispositio peccati.

Caiet.

Duobus modis intelligi potest, detestationem peccati esse vniuersalem, scilicet formaliter, vel virtualiter. Formaliter voco, quando ad talem detestationem antecedit in intellectu cognitio peccatorum omnium, huc illa distincta fit per expressam propositionem singulorum peccatorum, siue confusa, ita tamen vt formalem distributionem contineat. Virtualiter autem erit dolor vniuersalis, quādo, licet peccatum de quo cogitatur, particulare sit, ratio tamen detestandi illud est sufficiens ad auertendam voluntatem ab omni peccato. Solet quidem citari Caietanus, quod vniuersaliter neget, posse affectum contra peccata esse vniuersalem, nisi peccata ipsa distincte recogitentur, vel saltem confuse, & vniuersaliter: quod sumi posse videtur ex tom. 1. Opusculorum tractat. 4. q. 2. in fine. Sed ibi non declarat, qualis possit esse, vel necessario sit actus poenitentiae secundum se consideratus, sed quam vniuersalem

A salitatem requirat ad rationem contritionis, & dispositionis ad gratiam, quod postea tractaturi sumus. Loquendo ergo absolute de actu poenitentiae, non videtur dubium, quin sit capax huius vniuersalitatis virtualis ratione obiecti formalis: Cuius signum erit, si ex vi detestationis peccati, sub tali ratione voluntas ita maneat affecta, vt impossibile sit, cum tali detestatione simul esse actuale complacētiam alterius peccati, etiam si specie diuersum sit. In quo est etiam distinguendum de peccato veniali, & mortali: est enim de illis diuersa ratio, vt videbimus. Est etiam distinguendum de ratione, aut motiuo detestandi, an sit vniuersale, aut particulare, quas voces supra declaravi. At denique distinguendum est de poenitentia generatim sumpta, vel specialiter pro virtute speciali.

3
Secunda conclusio.

Primo igitur certum est, non omnem actum poenitentiae esse formaliter vniuersalem ex parte obiecti actu cogitati. Hoc conuincit prima ratio dubitandi proposita. Deinde certum est, non omnem veram detestationem peccati esse vniuersalem virtualiter. Nam quoties motiuum est particulare, & pertinens ad determinatam virtutem, detestatio non extenditur, etiam virtualiter, ad peccata contraria aliis virtutibus. Facile patet exemplis: nam qui detestatur, v. g. adulterium propter propriam turpitudinem eius, non propterea odio habet furum, imo cum illa detestatione potest simul esse propositum furandi: & ita est in aliis. Ratio vero est, quia illa vitia nec sunt contraria tali virtuti, neque habent necessariam connexionem cum illo motiuo detestandi.

ASSERTIO III.

Dico tertio, Quando ratio detestandi aliquod peccatum, est communis omnibus mortalibus peccatis, & omnino similis, & eiusdem rationis cum illis, tunc licet detestatio peccati sit particularis formaliter, & in obiecto materiali, nihilominus est vniuersalis virtualiter, & simpliciter auertit voluntatem ab affectu mortalis peccati. Hoc sumo ex D. Thom. q. sequente artic. 3. & rationem infinuat, quia vbi est eadem ratio, est idem effectus. Declarari autem potest in primis à simili, ex assensu fidei; nam licet interdum versetur circa definitam aliquam veritatem: si tamen sit ex puro motiuo fidei, semper est vniuersalis virtualiter, id est, includens hunc affectum ex parte credentis, nimirum, illum esse paratum ad credendum quamcumque aliam veritatem sub illo motiuo sufficienter propositam: quia motiuum est omnino idem in omnibus particularibus obiectis materialibus: & in eo talem habent connexionem omnes illae veritates particulares, vt non possit vna negari, quin destruantur omnes. Quod à contrario etiam explicatur, quia propter hanc causam non potest aliquis vera fide credere vnum articulum, si alium sufficienter propositum neget: idem ergo erit, quoties motiuum simile fuerit.

Declaratur primo ex assensu fidei.

Secundo declaratur in propria materia: nam qui detestatur vnum peccatum mortale propter timorem aeternae poenae, necesse est, vt virtute derelictur omnia mortalia, quia per quodlibet incurritur aeternae poenae reatus: & per vnum contrahitur non minus quam per omnia, quamuis quoad grauitatem, & intentionem poenae non sit aequalitas: quo modo intelligi potest illud Iacobi 2. Qui in vno offendit, factus est omnium reus. Similiter, qui detestatur vnum mortale, quia est ita contrarium charitati, vt dissoluat amicitiam cum Deo, virtute detestatur omnia, quia in omnibus est malitia, seu auersio similis quoad illam rationem. Ex quibus exemplis potest duplex formari ratio. Prima est, nam qui efficaciter intendit aliquem finem, virtute & implicite vult media

Declaratur secundo ex propria materia.

Iacob. 2.

media necessaria ad illum finem, & è conuerso, qui efficaciter odio habet aliquod malum, & intendit omnino fugere illud, virtute vult vitare quicquid inducere potest tale malum: quia voluntas efficacis secum affert executionem quantum est in potestate volentis: sed in præsentia qui detestatur vnum peccatum efficaciter propter aliquod ex dictis motiuis vniuersalibus, intendit absolute vitare tale malum formaliter, vt qui detestatur furtum propter metum gehennæ, absolute intendit vitare penam æternam, & sic de cæteris; ergo virtute vult vitare omnia, quæ inferunt talis poenæ reatum. Secunda ratio est, quia hoc motiuum est (vt ita dicam) totum in singulis, & totum in omnibus peccatis, & omnia peccata talem habent connexionem respectu illius, vt non possit illud odio haberi absolute, nisi in singulis, & omnibus peccatis odio habeatur: sed per veram detestationem alicuius peccati propter tale motiuum: perfectè, & absolute odio habetur ipsumque motiuum: ergo in illo virtute displicent omnia peccata, quæ induunt talem rationem mali.

ASSERTIO IV.

Actum poenitentiae specialiter sumptæ esse virtualem detestationem omnium mortalium.

Atque hinc possumus quarto probabiliter concludere, actum poenitentiae specialiter sumptæ, vt est quædam iustitia ad Deum, si sit perfectus, absolutus, & efficacis, esse virtualem detestationem omnium mortalium, etiam si expresse circa vnum tantum versetur. Probatur ex præcedente assertione, nam motiuum huius virtutis, vniuersale est omnibus peccatis mortalibus, & est eiusdem rationis in omnibus illis, quatenus omnia, & singula continent grauem offensionem, & iniuriam Dei, quam hæc virtus detestatur. Ergo detestando vnum peccatum præcisè propter vitandam hanc iniuriam, virtute detestatur homo cætera. Et confirmari potest, nam si quis non doleat expresse de omnibus peccatis, nec materialiter de vno, vel alio, sed indefinite doleat solum quod offenderit Deum propter malitiam talis offensionis, ibi virtute dolet de qualibet offensione, quia non est minor ratio de vna, quam de alia: ergo qui detestatur aliquod peccatum propter diuinam offensionem præcisè, virtute detestatur omnia, quia per illum actum simpliciter, & absolute dolet de ipsa diuina offensione.

Contra hanc vero assertionem opinatur Medina in Codice de Poenit. tractatu 1. q. 12. art. 2. in quadam solutione ad 2. vbi quædam distinctione virtutis dicens, aliud esse dolere de peccato quatenus offensa Dei est, aliud, quia offensa Dei est: & in priori modo admittit conclusionem à nobis positam, non vero in posteriori: quia in priori modo per illam reduplicatiuam denotatur, dolorem illum virtualiter haberi de omnibus peccatis, saltem confuse, & in genere: in posteriori autem modo solum inducitur causa, ex qua non satis colligitur virtualis detestatio omnium peccatorum. Ratio autem est, quia in voluntate, præter rationem quæ est ex parte obiecti, concurrunt libertas voluntatis: ex qua sola prouenire potest, vt existente eadem ratione operandi circa duo obiecta, velit vnum, & non aliud. Ergo, quamuis voluntas ex sua libertate amet, vel odio habeat aliquod obiectum quia tale est; non sequitur, quod velit omnia, quæ talia sunt, quia licet ex parte obiecti illa sit causa, tamen simpliciter non est causa totalis sic volendi, cum vna ex præcipuis causis sit libertas ipsius voluntatis. Quod his exemplis confirmari potest; nam possum velle aliquod operari, quia est

Fr. Suarez tom. 4.

7
Contra
quartam
assertionem
opinat
Medina.

Exemplis
confirmatur

consentaneum rationi: ex quo non sequitur, vt velim operari quicquid est rationi consentaneum, quia sum liber ad volendum vnum, & non aliud. Item possum velle aliquid facere, vt Petro inferam iniuriam: nec propterea cogor, vt velim omnem iniuriam facere Petro. Item non sequitur, Lego Francisco centum, quia filius meus est: ergo cui libet filio lego centum. Nec sequitur, Video Ioannem, quia est mihi præsens: ergo video omnes mihi præsentis: Ergo similiter non sequitur: detestor furtum quia offensa Dei est: ergo detestor omnem Dei offensionem.

Sed in hac sententia difficilis est ad explicandum illa distinctio de propositione reduplicatiua, & casuali ad rem præsentem applicata, quia omnis propositio reduplicatiua denotat causam, & rationem ob quam tale prædicatum subiecto conuenit. Vnde semper potest in causalem resolui, seu per causalem explicari, vt, si homo est risibilis, quatenus est rationalis, recte etiam dicitur esse risibilis, quia est rationalis. Ergo quoties homo detestatur peccatum, quatenus offensa Dei est, vere etiam ac proprie dicitur detestari peccatum, quia offensa Dei est. Hæc autem casualis propositio non indicat, nec in præsentia materia indicare potest aliam causam nisi rationem formalem obiecti, & propriam & adæquatam motiuum detestandi peccatum, alioqui actus ille, cuius causa assignatur, non erit verus poenitentiae actus: nam de ratione huiusmodi actus est, vt ex illo motiuo adæquate eliciatur. Alioqui si casualis illa non indicat huiusmodi causam motiuam, sed conditionem sine qua non, aut quippiam simile, oportebit, actum illum habere aliud obiectum formale, & ita non erit actus poenitentiae, de quo loquimur. Quocirca vel duæ illæ propositiones in præsentia materia eundem sensum referunt: vel illa casualis non explicat propriam causam actus poenitentiae, ratione cuius dicimus, esse virtualem displicentiam omnium peccatorum.

Vt verò respondeamus ad rationem in oppositum, & ad omnia exempla, aduertendum in primis est, nos non dicere, eum qui vult aliquod obiectum sub ratione vniuersali adæquata, ex necessitate velle formaliter omnia similia obiecta, sed virtualiter tantum. Quamuis autem libertas voluntatis possit conferre ad volendum formaliter vnum obiectum, & non aliud, non tamen potest separare virtualem inclusionem vnius in alio, & consequenter nec separare potest virtualem volitionem vnius à formali volitione alterius, quam habere supponitur ex libertate sua. Vt potest voluntas pro sua libertate efficaciter intendere finem, & non velle formaliter aliquod medium, non tamen potest non velle virtualiter media, si intendit efficaciter finem. Et propter hanc causam exempla quæ afferuntur, non sunt ad rem, præter alias, quas statim declarabimus. Deinde est considerandum, nos loqui de causa adæquata, & præcisè ratione volendi aliquod obiectum, nam si illa est omnino eadem in omnibus particularibus obiectis, fieri non potest, moraliter loquendo, vt voluntas vnum eorum velit, & alia nolit actu positiuo, & repugante: quod maxime verum est, quando illa ratio talis est, vt in ea quodammodo connectantur omnia materialia obiecta, in quibus illa ratio reperitur. Primum horum declarat in illo exemplo de patre legante vni filio centum, nam si ille singulariter ealegat, reuera præter, & adæquate non mouetur ex eo quod filius eius est, sed ex eo quod talis filius est, seu quia cum conditione filij coniunguntur alia, quæ plus mouent ad legandum illi, quam aliiis. Quod si quis fingat, nullam omnino esse rationem ex parte obiecti, quæ mouere possit præter rationem filiationis, & est sola libertate determinari voluntatem patris ad vnum potius quam ad alium, illud certe moraliter

8.
Quæ diffi-
cultates, di-
stantur ex
Medina
sententiis.

9.
Primum
notabile
pro respon-
sione.

Secundum
notabile.

non

non potest accidere, saltem in hominibus: & adhuc illo casu admisso, tunc non est sola filiatio ad aequata ratio volendi, sed cum illa coniungitur affectus ad utendum propria libertate, & dominio suorum actuum, & rerum suarum. Sed quidquid sit de illo primo puncto, nos non consideramus hic solam convenientiam omnium obiectorum materialium in eodem formali, sed maxime connexionem eorum in eodem indivisibili motivo formali, ad quod voluntas simpliciter & absolute afficitur, vel à quo auertitur per actum efficacem, ut constat in exemplis positis de obiecto formali fidei, & de voluntate assentiendi primæ veritati, vel dissentienti ab aliqua se testificata à prima veritate. Idem est in primario obiecto charitatis, & in efficaci amore Dei super omnia quatenus connexionem habet cum obseruatione mandatorum: & in vniuersum de intentione finis, quæ virtute continet media necessaria. Sic ergo detestatio cuiuslibet peccati mortalis ex hac præcisâ ratione, quod est grauis iniuria Dei, vel quia hominem à Deo separat, continet in se absolutum & efficax odium diuinæ offensionis ut sic, & nisi hoc habeat, non erit proprius actus penitentiae, de quo agimus: cum illo autem obiecto habet intrinsecam connexionem detestatio cuiuslibet peccati mortalis, & ideo virtualiter in illo actu continetur; nec per arbitrij libertatem potest excludi hæc virtualis continentia, ut iam declaravi, quamuis possit voluntas pro sua libertate propositum mutare, & post illum detestationis actum in aliquo alio peccato complacere, sicut potest etiam iterum reuerti ad illud idem peccatum, quod formaliter detestata est. Oportet nam in hac materia attente considerare, aliud esse loqui de his actibus pro diuersis temporibus, aut pro eodem: nam priori modo clarum est, posse voluntatem nunc virtute habere odium, imò & formale omnium peccatorum, & paulo post complacere in aliquo: nam hoc nascitur ex mirabilitate voluntatis.

Diratio de volendi vna mortale est ad aequata, non potest voluntas pro eodem tempore complacere tatis.

Argumentum ad hominem contra Medinam.

10. Primo ex eo quod Medinam sit satis.

At vero pro eodem tempore, si ratio volendi, vel nolendi sit adæquata, & habeat vniuersalitatem supra positam, & operans nõ ignoret efficaciam illius rationis, fieri non potest, ut voluntas cum vnum obiectum odio habet sub taliratione, simul aliud amet, quia libertas voluntatis non sufficit, ut simul habeat repugnantes actus: illi autem repugnant: ut ostensum est. Possumus etiam ad hominem argumentari contra Medinam, nam si quis homicidium, ac per iurium commisit, & postea est omnino oblitus per iurij, censetur sufficienter detestari omnia peccata sua, si homicidium detestetur, quia offensa Dei est, ut infra ostendimus, & ipse Medina fatetur q. 3. circa finem: quamuis significet, rationem esse, quia de peccatis oblitus nullæ penitentia necessaria est, quod omnino falsum esse infra ostendam. Ratio ergo est propter continentiam virtutem in formali motivo: quod sicut vniuersale est per informationem, & connexionem, ita vniuersalitatem quandam actui tribuit.

Ad primum ergo exemplum respondetur, illud motiuum volendi, vel operandi aliquid, quia est consentaneum rationi, accipi posse, vel prout dicit conformitatem ad rationem in determinata materia, scilicet iustitiæ, vel temperantiæ: & tunc non licet argumentari ad alios dissimiles actus vel materiam ut per se constat. Vel sumi potest secundum præcisam, & ab solutam rationem boni honesti, ut sic, ex eo solum quod est rationi consentaneum. Et ex tali modo operandi recte colligi potest virtualis inclusio, saltem quantum ad hoc, ut stante illo efficaci actu non possim velle aliquid turpe, & recte rationi contrarium, & consequenter, & virtualiter velim quidquid ad rectitudinem recte rationis simpliciter necessarium est, quamuis necesse non sit, ut velim ea omnia, quæ sunt rationi conformia, si alio-

qui non sunt necessaria ad rectitudinem rationis, quia illa non sunt necessario connexa cum illa priori intentione. Ad alia vero exempla non est necessarium sigillatim respondere, quia in eis, vel non assignatur propria ratio, & causa operandi, vel non talis, ut cetera omnia habeant in illa necessariam connexionem.

ASSERTIO V.

Detestationem mortaliū propter motiuū commune illis non semper esse virtutem venialium.

Quinto addendum est, & sequitur etiam ex dictis, detestationem mortaliū peccatorum propter motiuum commune omnibus illis, non semper esse virtutem detestationem venialium peccatorum. Patet primo, quia cum tali detestatione potest esse actualis voluntas peccandi venialiter, & ideo possunt etiam mortalia remitti sine venialibus. Ratio denique est, quia peccatum veniale non continet in se motiuum illud, ut v.g. si motiuum sit timor inferni, peccatum veniale non est dignum poenæ æternæ: si vero sit diuina charitas seu amicitia, peccatum veniale non dissoluit illam.

Hinc vero nascitur obiectio contra superiorem conclusionem, quia sicut veniale peccatum est in hoc dissimile mortali, ita mortalia inter se sunt dissimilia, & inæqualia, etiam in ratione diuinæ offensionis, nam vnum est grauius alio: ergo potest voluntas specialiter detestari vnum peccatum grauiusimū quatenus est talis offensa Dei, & tam grauis: & tunc per illum actum nec formaliter, nec virtute detestabitur alia leuiora peccata, quia non sunt similia in adæquata ratione nolendi: & tamen ille actus est penitentia, quia non est alia virtus ad quam pertinet: ergo non semper per actum penitentia est virtualis detestatio omnium mortaliū peccatorum.

Respondetur primo, probabiliter concedi posse totum quod in argumento sumitur: nec propterea concluder contra præcedentem assertionem, in qua agimus de actu perfecto penitentia: hic autem actus, qui non respicit formalem rationem mortalis offensionis Dei, sed præcipue, punitur in excessu, seu grauitate talis offensionis, & valde imperfectus, ita ut vix mereatur penitentia nomen. Vnde dicitur secundo, probabilissimum esse, non posse dari actum vere penitentia, qui versetur circa mortale peccatum, & solum detestetur illud propter peculiarem grauitatem, quam habet, & non principaliter propter ipsam rationem mortalis offensionis. Quod quidem certius mihi videtur de actu detestationis, qui ex charitate procedit, nam cum charitas sit amicitia ad Deum, primo ac per se detestatur quidquid hanc amicitiam dissoluit, quod est commune omni peccato mortali, ut sic. Deinde etiam in illa detestatione, quæ est ex metu æternæ poenæ, est hoc satis clarum, quia nullus fugit poenam æternam primo ac per se propter intentionem, seu accidentalem grauitatem, sed propter æternitatem poenæ, & quia perpetuo priuat beatitudine. De alia vero detestatione, quæ est ex motivo iustitiæ, est hoc minus certum tamen etiam est valde probabile, quia id quod est præcipuum in omni peccato mortali, est quod contineat talem Dei iniuriam, quæ sufficiens sit ad auertendum hominem à Deo, & constituendum alium vltimum finem, quantum est in hominis affectu: & ideo illa virtus iustitiæ primo ac per se hoc respicit, reliqua vero, ut accidentaria: seu secundaria: & ideo quoties homo in detestando peccato præcipue mouetur ex grauitate particulari alicuius

11.

Ratio.

12.

Obiectio contra superiorem conclusionem.

13.

Enodatio.

14.

Alio modo soluitur.

alienius peccati mortalis, signum est, non moueri ex puro motu iustitiæ, sed ex aliquo alio incommodo vel ratione priuata: quod, saltem moraliter & regulariter loquendo, verum esse cenfeo.

ASSERTIO VI.

Penitentiam venialium virtute continere penitentiam mortalium.

VLTIMO dicendum est, penitentiam venialis peccati ex eo præcisè quod offensa Dei est, virtualiter continere penitentiam mortalium. Probatur primò, quia fieri non potest, vt qui actualiter ita detestatur veniale habeat cõplacenciam in mortali. Deinde, quia qui efficaciter vult non retardari à sine consequendo, à fortiori implicite vult non auerteri à tali sine: sicut qui efficaciter fugit ægritudinem, à fortiori fugit mortem, quantum est ex vilis actus. Et qui efficaciter odio habet poenam temporalem, multo magis æternam: & qui odio habet remissionem virtutis, multò magis amissionem peccatum autem veniale impedit feruorem charitatis: mortale autem tollit charitatem: ergo. Dices, Malitia vel offensio venialis peccati est dispersa rationis à malitia mortalis: ergo non est cur detestatio vnus virtute contineat detestationem alterius. Respondetur, negando consequentiam, quia illa duo habent inter se subordinationem quandam, & analogiam, ita vt veniale in ordine ad mortale, vel per quandam participationem eius habeat rationem offensionis: & idè in detestatione illius à fortiori continetur implicite seu virtualiter detestatio alterius. Vnde tandem fit, non esse idem de venialibus peccatis inter se collatis, quia non habent inter se talem habitudinem: quare etiam potest vnum sine alio remitti, etiam si simul sint, eam tamen veniale non possit sine mortali, iuxta probabilitatem D. Th. sententiam.

SECTIO IX.

Virum actus penitentia sit detestatio peccati supra omne aliud malum.

SYPOPOSITA vulgari distinctione mali, in culpæ, & poenæ, duplex comparatio hinc fieri potest. Vna est inter detestationem peccati, & mali poenæ, alia inter peccata, seu mala culpæ inter se: & de priori breuiter dicam in hac Sectione, de posteriori autem in Sect. seq. aduertendo, malum poenæ non debere hic sumi formaliter cum relatione ad culpam, propter quam solet poena infligi, sed absolute, pro detrimetò illo seu incommodo, quod per poenam inferitur.

Deinde sumo tanquam certum, malum culpæ esse detestabilius esse malo poenæ. Ita D. Thom. i. par. quæst. 48. art. 6. & secunda secunda, quæst. 19. art. 1. & alij Theologi communiter in 4. Bonauent. d. 16. artic. 2. q. 1. Palud. d. 17. q. 1. art. 5. Alenf. 4. p. quæst. 68. memb. 1. artic. 6. & Petrus Soto lect. 4. de penitentia, in Institutione sacerdotum. Et ratio est, quia malum culpæ est malum simpliciter; malum poenæ secundum quid: nam illud repugnat Deo secundum se, & rectæ rationi, hoc verò per se non est contra rectam rationem, estq; solum in modum ipsi homini. Vnde fit, vt malum poenæ eligi possit, & debeat ad vitandum malum culpæ: è conuerso autem nullo modo: nam sicut Paulus ait ad Roman. 3. Non sunt facienda mala, vt inde veniant bona: ita non sunt facienda mala culpæ, vt vitentur mala poenæ, aliàs culpa iam non esset culpa, quia iam esset licita.

Fr. Suarez tom. 4.

Dices, Interdum licet furari ad vitandam mortem, vt in extrema necessitate, Respondetur, id non esse furum, sed vt iure proprio, quod vnusquisq; habet ad vsum rerum in articulo illius necessitatis. Vnde est valde aduertendum, aliquando propter vitandum temporale damnum, licitum esse facere id, quod aliàs esset malum, & contra præceptum, propterea quod tunc tollitur malitia, vel quia illud erat malum solum quia prohibitum, & pro tunc cessat prohibitio: quo modo licet omittere sacrum in die festo propter vitandum periculum mortis: vel quia tunc obiectum actus moraliter mutatur, vt in dicto exemplo de casu extremæ necessitatis: in quo bona alioqui propria, sunt cõmunia quoad vsum: at verò, si actus sit per se malus, & semper retineat idem obiectum, nunquam potest fieri propter vitandum malum poenæ, vt non licet mentiri propter vitandam mortem.

Dicit aliquis, esto hæc vera sint de malo temporali, non vero de malo æternæ poenæ, nam hoc nunquam est eligibile, etiam comparatione mali culpæ. Aliqui putant, ita esse limitandam doctrinam positam, & tribuunt Durando in 4. d. 17. quæstio. 5. ille verò solum ait, comparationem illam non esse prudentem, neque faciendam secundum rectam rationem: quia malum æternæ poenæ nunquam est eligibile propter vitandam culpam. D. Thomas autem quodlib. 1. artic. 9. simpliciter docet, malum culpæ detestabilius esse malo æternæ poenæ: addit verò illam comparationem in particulari non esse faciendam propter periculum, & fragilitatem hominis.

Et quidem illud prius simpliciter verum est, nam rationes tactæ æquæ procedunt de hoc modo, & quia peius est, esse dignum poenæ quam poenam pati: propter malum autem culpæ fit homo dignus æterna poenæ. Quod vero attinet ad comparationem illam exercendam: verum quidem est, in ordine ad absolutam electionem nunquam posse malum æternæ poenæ eligi propter vitandum malum culpæ, quia nunquam potest esse medium ad illum sinem accommodatum, saltem secundum legem ordinariam, quidquid sit de potentia absoluta. At vero in ordine ad simplicem, seu conditionatum affectum, quamuis illa comparatio consulenda non sit, præsertim hominibus infirmioribus, & fragilibus, tamen simpliciter non est mala, & in homine perfectò potest esse utilis ad ponderandam granitatem culpæ, & explicandum effectum odij circa illam. Vnde illam reperio in Anselmo lib. de Similitud. ca. 19. d. dicente, Si hinc peccati pudorem, & illuc cererem inferni horrorem, & vni eorum necessario haberet immergi, potius me in gehennam immergerem, quam peccatum in me immitterem: mallem enim à peccato purus infernum intrare, quam peccati corde pollutus calorum regna tenere. Et ita sentiunt Theologi superius citati. Et ratio declarari potest, quia si per possibile, vel impossibile alterutrum necessario eligendum esset: scilicet, vel culpa, vel æterna poena, quantum ad id præcisè quod poena est, eligenda potius esset poena, quam culpa propter rationem tactam, quod culpa est contra Deum, poena tantum nocet homini. Etenim, licet poena inferat verum hoc in eum homini, culpa verò non inferat reale nocumentum Deo, tamen quodlibet detrimentum proprium eligendum potius esset, quam quelibet iniuria vel offensio Dei: imò & quam ipsa turpitudine mali moralis, quatenus est honestati, & rectæ rationi contraria. Cuius rei optimus argumentum illud est, quod hæc facit dignum poenæ: peius autem est, esse dignum poenæ, quam illa sustinere.

Dices, Imprudentem & inutilem esse illam comparationem, quia inuoluit repugnantiam, quod occurrat necessitas eligendi malum culpæ propter vitandam æternam damnationem, cum potius ipsum malum

Obiectio occurrat.

Replicat.

Quorundam responsio Durand. D Thom.

Germani solutio.

Anselm.

Ratione inferunt.

Alia obiectio.